

IN OFFICIO  
SANCTI PRUDENTII  
EPISCOPI TURIASONENSIS,  
ET PATRONI PRINCIPALIS  
PROVINCIAE ALABENSIS.

---

ORATIO.



EUS Largitor Pacis, qui Prudentio Confessori tuo, atque Pontifici mirificam dissidentes animos componendi gratiam tribuisti, da quæsumus, ut ejus meritis, & intercessione veram cum tua voluntate concordiam jugiter servemus. Per Dominum &c.

*Lectio IV.*

PRUDENTIUS natione Hispanus piis Parentibus natus, ut vetustissima Acta tradunt, in Armenia Urbe quondam Provinciae Alabensis, ab ipsa pueritia magna sanctitatis præbuit argumenta, & simplex, rectus, & timens Deum ætate simul, & virtutibus crevit. In prima ipsa juventute, ut animum à Mundi illecebris custodiret, in Heremum secessit, ubi aspe-



asperrimo vivendi genere Corpus in servitutem rededit jugi cœlestium rerum contemplationi , & sacramentum literarum studio vacans. Defuncto Saturio , quo usus fuerat heremiticæ vitæ socio, atque Magistro, voce divina admonitus ad Civitatem Calaguritanam profectus est.

### *Lectio V.*

**E**A in Urbe pœnitentis habitu indutus in cinere, & cilicio ita infectatus est pravos Populorum mores increpando , admonendo , concionando , ut collapsam in illis pietatem in pristinum restituerit, contumelias , injurias , & verbera propter Christum patiens. Ejus sanctitatis bonus odor cum universam illam Nationem pervaserit , Prudentius abhorrens celebritatem sui nominis clam Turiasonem aufugit , & inter minores ejus Ecclesiæ Clericos adscitus tamdiu delituit , donec cognita Viri sanctimonia , atque doctrina ab illo Episcopo Presbyter ordinatus est , & Archidiaconus deinde constitutus : quo in munere cum præclariora in dies ederet Virtutum exempla, concreditum ei fuit regimen vacantis Ecclesiæ Turiasonis , atque reluctans , & nolens in ejus Cathedra omnium votis collocatus est.

### *Lectio VI.*

**E**PISCOPALI auctus Dignitate commissum sibi Gregem pascens monitis, consiliis , scientia, verbo , & exemplo innumeros Peccatores ad viam salutis revocavit. Eximia fuit ejus Prudentia , Charitas , Mansuetudo , & Misericordia præfertim in Pau-

Pauperes , erga quos, ut largior esset , necessaria  
fibi detraxit. Peculiari qua pollebat gratia, dissiden-  
tes animos sedandi Oxomam accitus , ut ea dissidia  
componeret , quæ inter Clerum , & Cives jamdiu  
exarserant , ad pacem , & concordiam statim illos  
adduxit , divinis etiam , ut fertur , accendentibus pro-  
digiiis. Ibidem gravi morbo correptus magnis labori-  
bus exantlatis , qua prædixerat hora obdormivit in  
Domino maxima sanctimoniae fama , & Miraculis  
clarus. Ejus Corpus delatum ad Montem Laturcium  
eo loco publicæ Fidelium venerationi expositum fuit,  
in quo nunc ab ejus nomine Ecclesia S. Prudentii  
numcupatur.

## I N M I S S A.

### S E C R E T A .

**U**T nobis Domine unitatis , & pacis dona con-  
cedas , quæ sub oblatis munericibus misticè  
designantur , fac nos semper Beati Prudentii Con-  
fessoris tui , atque Pontificis validis muniri præfidiis.  
Per Dominum &c.

### P O S T C O M M U N I O .

**S**PIRITUM nobis Domine tuæ charitatis infunde,  
ut quos una mensa satiasti , intercedente Beato  
Prudentio Confessore tuo , atque Pontifice , mutua  
semper facias dilectione concordes. Per Dominum  
&c. in Unitate ejusdem &c.

DE-

# DECRETUM CALAGURITANA, SEU CALCEATEN.

**P**ostquam Sacrorum Rituum Congregatio die 16.  
Martii 1697. referente cl. m. Card. Coloreda,  
confirmaverat in Patronum Principalem universæ Pro-  
vinciæ Alabensis SANCTUM PRUDENTIUM Epis-  
copum Turiasonensem. D. Bartholomæus Olaran Postu-  
lator nomine Rmi Episcopi Calaguritani, nec non Cleri,  
& populi ejusdem Provinciæ Alabensis, eidem Sacrorum  
Rituum Congregationi habitæ die 22. Decembris 1753.  
supplicavit pro approbatione Officii proprii recitandi ab  
eodem Clero in honorem ejusdem Sancti. Verum cum  
Sacra Congregatio tunc censuerit, audiendum esse R.P.  
D. Promotorem Fidei, tandem renovatis modo per  
eundem Postulatorem enixis precibus pro parte dictæ  
universæ Provinciæ Alabensis, Sacra eadem Congregatio  
ad relationem Emi, & Rmi Dni Cardinalis Cavalchini  
Ponentis scripto, & voce auditio R.P.D. Fidei Promo-  
tore, benignè concessit, ut in officio dicti S. PRUDENTII  
suprascriptæ Lectiones propriæ cum Oratione, necnon  
in Missa Secreta, & Postcommunio itidem propriæ ab  
utroque Clero universæ Provinciæ Alabensis recitari pos-  
sint, & valeant. Hac die 28. Augusti 1762.

J. M. Card. Feroni Praefectus.

Loco ✠ Sigilli.

S. Burghesius S. R. C. Secretarius.

En Vitoria : Con las licencias necesarias, por Thomàs de  
Robles, Impresor de esta M. N. y M. L.  
Provincia de Alava.

Procede de casa del M. de la Alameda  
Otros ejemplares en E. J. (E. A. O. de Vitoria)  
(1925)